

mirificè turbatum fuisse ejus animum, ut nonnisi tristissimas sibi proponens imagines, earundem contemplatione attentâ in summum moerorem fuerit conjectus. Impugnâsse ipsum præterea suspiciones, quas pro suâ, quæ simul aderat, timiditate auxerit, seqve per eas in varias præcipitârit anxietates, modò se ab hostibus dirissimis circumdari existimans, modò inferni cruciatibus ob sua peccata jamjam se committendum metuens, modò alia sibi persuadens, quæ ab omni ipsum lætitiâ abstrahere, summosqve ei dolores movere potuerint. Hoc interea adjiciunt Auctores modò memorati, concitatas esse hæc turbas in mente Saulis à Satanâ, qui extra ejusdem corpus fuerit constitutus, ac saltem, cum dispositionem hominis optimè cognoscat, humores, uti diximus, ita direxerit, ut talis effectus sit subsequutus, ipsum tamen obsessione, ceu vocant, corporali miserum Regem non invalisse. Ut adeò secundum illorum sententiam statui debeat, se rem propemodum hæc habuisse ac in morbo Jobi, de quo itidem relatam legimus, quod Satanas corpus ejus, cui tamen se non immiserat, variis afflixerit doloribus. Similiter corpus Saulis, quod non ingressus est, ad inferendos animo cruciatus ex horum mente saltim disposuit.

§. XVI. Equidem ita comparata videtur esse hæc sententia, ut nihil in se contineat, quod aut aliunde probari non possit, aut huic, quod jam consideramus, facto omnimodè repugnet. Ecquis enim est, qui inficias ire suscipiat, Diabolos, etiamsi è cœlo dejecti & pristino splendore privati sint, magnam tamen retinuisse scientiam, quâ homines intus ac exterius quàm exquisitissimè pernoscant, eorumque naturam ita habeant perspectam, ut suâ peritiâ vel peritissimum quemque Medicum Physicumve superent. Facile itaq; colligunt, quo hic, quoque ille gaudeat Temperamento, quibus.